

citiae: hoc in eo, qui mortuus erat, et revixit, perierat, et inventus est. Ubique majus gaudium molestia majori praeceditur. Quid est hoc, Domine Deus meus, cum tu aeternum tibi tu ipse sis gaudium, et quaedam de te circa te semper gaudeant? Quid est, quod haec rerum pars alternat defectu et profectu, offensionibus, et conciliationibus? An is est modus earum, et tantum dedisti eis, cum a summis coelorum, usque ad ima terrarum, ab initio usque in finem seculorum, ab angelo usque ad vermiculum, a motu primo usque ad extremum, omnia genera honorum, et omnia justa opera tua, suis quaeque sedibus locares, et suis quaeque temporibus ageres? Heu mihi, quam excelsus es in excelsis, et quam profundus es in profundis; et nusquam recedis, et vix redimus ad te!

CAP. IV. QUARE PLUS LAETANDUM SIT IN MAGNI PECCATORIS
CONVERSIONE.

Age, Domine, et fac, excita, et revoca nos, accende, et rape, flagra, dulcesce: jam amemus, et curramus! Nonne multi ex profundiore tartaro caecitatis, quam Victorinus, redeunt ad te, et accedunt, et illuminantur recipientes lumen? Quod si qui recipiunt, accipiunt a te potestatem, ut filii tui fiant. Sed, si minus noti sint populis, minus de illis gaudent, etiam qui noverunt eos. Quando enim cum multis gaudetur, et in singulis uberius est gaudium, quia fervefaciunt se, et inflammantur ex alterutro. Deinde quod multis noti, multis sunt auctoritati ad salutem, et multis praeceunt secuturis. Ideoque multum de illis, et qui eos praecesserunt, laetantur, quia non de solis laetantur. Absit enim, ut in tabernaculo tuo prae pauperibus, accipiantur personae divitum, aut prae ignobilibus nobiles; quando potius infirma mundi elegisti, ut confunderes fortia, et igno-